ODO LUCENSIS. FLORUS LUGDUNENSIS. GUALTERUS DE MAURITANIA. SENTENTIAE. HUGO DE SANCTO VICTORE

Waldsassen (Oberpfalz) (?), Ende 12. Jh. Seite 103v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=460
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



corpus essemus. secundum formam serui hanc
enim obtulit. in hac oblatus est. quia secundum hanc
mediator est. in hac sacerdos. in hac sacrificium est.
Per ipsum ergo et peticiones. et laudes. suas of
fert ecclesia deo patri. sciens per eum solum se posse
accipere quod postulat. per eum solum placere posse quem
laudat. sicut ipse in euangelio promittit dicens. Quoniam
amen dico uobis. si quid pecieritis patrem in nomi
ne meo. dabit uobis. Hec est enim mediationis
gratia. per quam exauditur ecclesia. Secundum quam et
apostolus exortatur dicens. Per ipsum ergo offeramus
hostiam laudis semper deo. i. fructum labiorum con
fitentium nomini eius. Idem namque mediator dei
et hominum deus super nos. homo propter nos. per huma
nitatem interpellat pro nobis apud patrem. per di
uinitatem. et exaudit. et prestat cum patre sicut ipse
testatur dicens. Et ego ad patrem uado et quod
cumque pecieritis patrem in nomine meo hoc faci
am. ut clarificetur in filio pater. De qua me
diatione. et aduocatione. Item beatus apostolus iohannes
ait. aduocatum habemus apud patrem ihesum christum
iustum. et ipse est propitiacio pro peccatis nostris. Et quia
per humanitatem interpellat pro nobis apud pa
trem. id est per diuinitatem propiciatur nobis cum
patre. Orat itaque sacerdos pro ecclesia. Orat ec
clesia pro sacerdote. Sicut orat apostolus pro plebe orat
plebs pro apostolo qui dicit. Orantes simul pro